Quelle: http://manuscripta.at/?ID=392
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

hominis et secundum apprehensionem Unde Augustinus dicit ad probam quod verbis et
aliis signis ad agendum secundum desiderium nos ipsos acrius excitat non in
singulari oratione tamen est vocibus huiusmodi signis utendum quantum proficit
ad excitandum interius mentem Si vero mens per hoc distrahatur vel
qualitercumque impediatur est a talibus cessandum quod praecipue contingit
in illis quorum mens sine huiusmodi signis est sufficienter ad devocionem parata
Unde psalmista dicit Tibi dixit cor meum exquisivit te facies mea Et de anna
legitur i Regum i quod loquebatur in corde suo Secundo adiungitur vocalis oratio quasi
ad reddicionem debiti ut scilicet homo deo serviat secundum totum illud quod ex deo habet
idest non solum mente sed etiam corpore quod praecipue convenit orationi idest satis-
factoriae Unde osee ultimo domine aufer iniquitatem et accipe bonum et red-
demus vitulos labiorum nostrorum Tercio adiungitur ex quadam redundancia
anime et corporis et vehementi affectione secundum illud psalmi letatum est cor meum
et exultavit lingua mea Sed opponitur quod non debeat esse vocalis quia soli deo por-
rigitur Sed deus cordis locucionem cognoscit ergo voce frustra adiungitur
facit xxxviii di. sedule Solucio non proferuntur ad hoc quod ignotum deo
manifestetur Sed ad hoc ut mens orantis vel aliorum excitetur in deum
Secundo opponitur oratio debet offerri deo in omnibus secundum illud Math vi tu autem
cum oraveris intra in cubiculum et clauso hostio ora patrem in abscondito Sed
per vocem orando supplicatur ergo etc. Solucio dico sicut Crisostomus dicit super Math
Respondit dominus negat in conventu orare ut conventui videatur Unde orans
nichil novum facere debet quod aspiciant homines vel clamando vel pectus
percuciendo vel manus expandendo nec tamen ut dicit Augustinus libro de sermone
domini in monte videri ab hominibus nephas est et ideo etc. hic age ne
ab hominibus videaris

Duodecimo quero et ultimo an ad horas canonicas obligatus etiam
ad horas beate virginis vel vigilias mortuorum sit astrictus Dico breviter
quod non quod probatur per c. i. et xii. di. et alia iura ibi inducta in quibus patet quod
sole hore canonice sunt sub precepto et nichil aliud etc. Et ergo ex quo a iure
nichil aliud imponitur videntur illa sufficere quo ad necessitatem Et si aliquis
voluerit deo gratias impendere hoc non debet aliis nocere ar. v. q. ii c. i. secundum guil.
Dico tamen licet quod quis non tenetur ad eas de iure scripto per tamen ad eas